7.

De PHOSPHORO Liquido, OBSERVATIO.

1677.

BEROLINI,
Literis GEORGI SCHULTZI, Elect. Typogr.





De
PHOSPHORO LIQUIDO,
OBSERVATIO.

AD Naturæ curioſos per Germaniam Interpretes Obſervationem, *De quatuor Phoſphoris*, anno ſuperiori vulgavimus. Iis ipſis ſuo nunc merito QUINTUS porro accedit, quem a conſiſtentia non abſurde *liquidum* nuncupare licet: ab effectu vero *Ignem frigidum* lucentem, non urentem appellat Prænob. atque Excell. Dn.D. *Martinus Weiſe*, Conſiliar. Elect. Brandeburg. & Archiatrorum Senior, qui primus hunc *Liquorem* Sereniſſimo Electori, Domino noſtro Clementiſſ. nuper in cubili Electorali humillime exhibuit: altero autem die, invitatis eam ob rem in ædes ſuas nobis Amicis & Collegis, jucundo hoc ſpectaculo oculos oblectavit. Cæterum indoles hujus *Phoſphori liquidi* non minus, ac *Fulgurantis* illius ſive Quarti, ſtupenda eſt, quam breviter, ſed accurate depingere hic conabimur.

Concipe ſis animo parvum vitrum, quod obligato collo cum liquore contento aliquot horas

immo-

immotum ſteterit adeo, ut per quietem portio ſecedat craſſior & opaca, ſupernatet clara tenuiorque. Illa colore ſulphur refert impurum, hæc citrei mali corticem. Quamdiu obturatum ſic, atque loco non motum perſeverat vitrum, nulla flamma, nullus percipitur ſplendor: at ſi in camera obſcura vitrum vel leviter moveris, partemque craſſam cum tenui in miſcellam unam confuderis, gyrantem mox in vitro flammam advertes: quæ ipſa tamen paullo poſt iterum extinguetur. Quod ſi vero ſimul vitrum aperias, fumus erumpit ad odorem Allii tantisper appropinquans, isque denſus adeo, ut *Liquor*, ſi motum reſerati vitri continuares, totus eſſet deflagraturus.

Porro vero, ſi volæ manus, vel guttulam unam agitati *Liquoris* inſtilles, ipſamque digito alterius manus leviter terendo dilates: cæruleam ſubito flammam, ſimilemque illi, quam Vini ſpiritus accenſus reddit, in vola manus juxta, ac digito *Liquorem* dilatante obſervabis, idque tamdiu, donec integer ipſe, & ad atomum usque ſit conſumtus. Capillos ſi obleveris, aut barbam, ſuperciliavé, absque noxa illa ardebunt: adeo ut *Ignis frigidi* nomenclatura ipſi aptiſſime quadret. Cæteroquin ab igne vulgari *Liquor* iſte haut videtur incendi, ſiquidem papyrus intincta, & candelæ admota, flammam non rapiebat: contra vero eadem *Liquore illita*, in tenebris, quaſi ab igne accenſa, eleganiſſime ſplendebat: quod ipſum etiam in filo,

quo

quo vitrum obligatum fuerat, qua parte *Liquoris* tantillum adhærebat, conſpicere licuit.

Plura circa *frigidum* hunc *Ignem* phœnomena hactenus non obſervavimus, impoſterum tamen iſtis experimentis plus operæ ſumus impenſuri, & poſtea communicaturi. Profecto, ſi conjectura quorundam de *Lucernis Veterum* ſepulchralibus vera eſt, quod ſcilicet non mille vel amplius annos illa arſerint, ſed quod apertæ demum ardere cæperint: tum utique ab Oleo illo Antiquorum non multum abfuerit hic *Phoſphorus liquidus*. Qui enim quieſcens & obturatus haut nitet, apertus & inter aperiendum motus, coruſcare atque flagrare incipit: reſtaurata que hoc pacto forent Lucernæ illæ, multis retro ſeculis inter *Deperdita* ab omnibus relatæ. Berolini, d. 29. M. Januar. Anno Æ. C. cIↃ IↃc LXXVII.

Jo. Sig. Elsholz.